

quam eius obiter meminit Isidorus. Quo verò tempore cœperit incertum est, nisi ad Aquariorum tempora referamus, circa annum à Christo passo 145. Vbi grassata sit, à quibus defensa & propagata, non explicatur, & statim intercidisse verisimile est, cum pauci illius meminerint, & facilè tam inepta deliria verbo Dei deiiciuntur ex meris Philosophorù nugis ficta & traducta.

## CAP. LXXVI.

Melitonij quid senserint.

**A**lia dicit corpus hominis, non animam esse imaginem Dei.

I *Alia dicit.* Hæc nō nominat hîc August. in indice tamē huic operi præfixo siue ex glossemate, siue ex vet. cod. Melitonij appellantur, quā nos appellationē retinuimus. Quis tamen fuerit hic Melito, nondum legisse me memini. Nec enim is est, de quo Euseb. lib. 4. cap. 21. & Niceph. libr. 4. cap. 10. qui & Sardicensis Episcopus & orthodoxus fuit Antonini Pij temporibus. Hæc enim hæresis omnino recentior videtur fuisse, & Anthropomorphitarum siue Audæorum surculus quidam, vt indicat Theodoret. in Epitom. diuinor. decretor. cap. De homine, qui cum Deum corporeum fingerent, imaginem Dei in homine non in anima, quæ spiritualis est: sed in corpore, quod lineamentis, membris, & dimensionibus aspectabilibus constat, collocabant. In quo ex cœlesti & spirituali fit terrena, mortalis, & corporea diuina natura, non sine insigni in Deum ipsum blasphemia. Itaque repudianda est  
tara